

**Nicolai Lancicij E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Modus breuis com ponen di conciones, vel sermones, traditus à P.  
Hieronymo Florauantio Soc. Iesu. C. XVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](#)

## CAPUT DECIMVMSEPTIMVM.

Modus brevis componendi conciones vel sermones, traditus à P. Hieronymo Florauiatio Societatis Iesu, qui ultimis viis sue annis fuit Confessarius Papa Urbani VIII. & excellens Concionator in Italia.

## §. PRIMVS.

De ossibus, seu membris principalibus, in que diuidenda est concio.

503. **C**onciones vel sermones communiter fiunt uno trium horum modorum: Primum est, accipere aliquem textum, eumque diuidere in tot partes, quot continent, & postea discurrere de quaenam earum v.g. Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quae militant aduersus animam. In hac sententiâ sunt tres partes, & de qualibet discurremus. In prima est petitio: Obsecro vos abstinere vos à carnalibus desideriis. In secunda est causa talis petitionis, quae est, quia militant aduersus animam. In tertia est modus quo debemus abstinere ab his desideriis carnalibus: tanquam aduenas & peregrinos: & hic modus discurrendi est pulebris & ingenuis alii.

Aliquando accipitur una sola sententia Scriptura, ut in exemplo allato: aliquando accipitur totum Euanđium vel epistola, & diuiditur in suas partes modo supra dicto.

Secundus modus est discurrere de una materia diuindo in suas partes, illam, verbi gratia: Pax vobis: discurremus hodie de pace: circa quam videbimus quatuorres. Primum, quid sit pax? Secundo, quam sit utilis & necessaria mundo. Tertio, quibus rebus nutritur. Quartio, de impedimentis pacis.

Tertius modus est magis tritus omnibus, & est accipere unum textum, & supra quolibet verbum, vel sententiam sine alio ordine discurrere, & dicere, & aliquem conceptum moralem, vel aliquam doctrinam, quam diu hora concionis durat. Et iste modus fortasse tanquam facilius est familiaris Hispanis.

## §. SECUNDVS.

Quomodo implenda sunt ossa & membra principalia in que diuisa est sententia vel materia concionum.

**C**ommuniter quatuor res ponenda sunt in quolibet membrorum diaisorum: Primum, aliquis locus Scriptura bene positus Secundus, aliqua similitudo apta rei de qua tractatur Tertius, aliquod exemplum vivum, & quod magis fuerit exquisitum, ed maiorem faciet impressionem. Quartus, aliqua amplificatio, qua commu-

niter fieri poterit aliquo tropo vel figurâ oratoria, & amplificatione debet concludi quolibet punctum propositum, si res de qua tractatur id exigit. Possunt primo vel secundo loco adduci una vel duas rationes, & ha communiter erunt ad propositum, quando veniemus secundo modo, in quo tractatur una materia.

## §. TERTIUS.

Continet aliqua notanda pro explicatione rerum postiarum §. 2.

**P**rimò, notandum est, non esse obseruandum semper eundem ordinem ponendam Locum sacra Scriptura, postea similitudinem, ne Auditor aduertat arrem, sed aliquando mutetur ordo, ponaturq; prius similitudo, postea exemplum.

Secondò, circa subiectum vel thema: non est semper necessarium accipere illud ex Scripturâ, sed aliquando ex sententia alicuius Sancti, quod sit ad propositum rei tractande.

Tertiò, circa modum tractandi locum Scriptura, duobus modis id sit: vel adducendo varias expositiones, vel varias versiones, verbi gratia: Defecimus in via tua; hoc est: sumus perterriti consideratione tuorum flagellorum, quis enim habitabit in ardoribus sempiternis. Secundo, defecimus, id est: Peccauimus per impunitiam à te puniri, id est sequitur: & in furore tuo conturbati sumus. Tertiò, defecimus, id est, morimur; & hoc confirmat versio S. Hieronymi<sup>1</sup>, qui dicit: Acceleramus.

Quartò, circa similitudinem, si adducitur ad ostendendam aliquam actionem faciendam vel vitandam, accipiantur à rebus animatis, verbi gratia: Vade piger ad formicam &c. Cognovit vos possessorem suum. Sed si adducitur ad ostendendam excellentiam alicuius rei, vel virtutem, accipiantur ex rebus inanimatis verbi gratia: sicut lumen inter spinas. Deus est sicut mare, Oceanus; charitas sicut aurum.

Quintò, circa exempla dao aduertenda sunt. Primo, faciat vim in illâ parte exempli, que facit ad propositum nostrum. Verbi gratia, si tractatur de timore salutis & adducitur S. Hilarionis, relinquantur reliqui vel breviter transeat, sed fiat vis in illis verbis: Septuaginta annis seruasti Domino & mori imeris. Secundo, exempla non sunt communia & nota, alias non ita mouent, & faciunt que spectant ad inopinatos uertus: vel si sunt nota, tali modo tractentur, ut videantur noua.

Sextò, circa amplificationem illam ut plurimum sit tribus modis. Primum, à minori ad maius, verbi gratia, Niniuita fecerunt paenitentiam ad predicationem Ionne: Ecce plus quam Ionas hic. Exhibuitis corpora vestra seruire iniquitatim ad iniuriam, exhibete nunc eadem seruire iustitiae in sanctificationem. Secundò, ab exemplis gloriosis, ut in Ep. 2. Cor. II. Ter virgis casus sum, semel lapidatus sum: &c. Tertiò, ab effectu, damonum non promittit nisi paenam, & sequuntur illud; Christus premia, & nullus illum sequitur: illud non facit nisi

nisi male, & queritur, Christus non aliter quam bend,  
& contemnitur.

Septimò, ut sit quis expeditus ad componendas cō-  
ciones oportet habere certos libros aptos, quia pro am-  
pliacione & tropis satis est habere Cypriani Rhetori-  
cam, que est breuissima pro similitudinibus & exem-  
plis, habent multi moderni, qui collegant in unum li-  
brum omnes similitudines SS. Patrum in materia  
quaui. Alij fecerūt libros plenos exemplorum, & auxilio  
rum brevi tempore fit una concio.

## CAPUT DECIMVM OCTAVVM.

Defectus quidam in concione vitandi val-  
de improbat à prudentibus & magnis  
concionatoribus, ac auditoribus magno  
iudicio preeditis.

¶ Primo, in Exordio statim eo modo vociferati  
& clamose loqui, quo solet boni Con-  
cionatores in fine concionis in tertio tono, ut  
dicitur, concionati.

Secondo, longa Exordia texere, in illisque dis-  
cursu instituere longiusculos, qui post Exor-  
dia fieri debent. Ideo prudentes & magni con-  
cionatores, dum scribunt conciones, ultimo lo-  
co, post eas compritis Exordium scribunt pau-  
cillimum periodorum, ut si veluti quidam  
ingressus ad materiam & ad thema de quo in-  
tuenda est tota concio.

Tertiò, manibus quatere pulpitum, ita ut so-  
nus audiatur ex percussione, ac si manibus in-  
cuerentur claviculi suggestui, valde indeco-  
rum, & cordatis Auditoribus molestem est.

Quarto, manuum volas conjungendo per  
modum plaudentium sonum edere, dede-  
cer.

Quinto, indecorum est valde, laudando ali-  
quam actionem vel beneficium Dei, illam vel  
illud comparare alicuius hominis vel Regis a-  
ctioni, è contra bonum est laudando aliquod  
opus hominis, dicere, imitatus est hac in te Deū,  
qui sic, & sic facit &c.

Sexto, citare authores Neotericos pro con-  
firmatione alicuius rei. Verbi gratia: ut benè di-  
cit Scribanus vel Drexelius, vel de Ponte. Potius  
non nominando tales, dicendum est, rectè  
docte quidam grauis è modernis author &c.  
Sed si sententia aliqua ad casus conscientiae spe-  
ctans, difficilis vulgo, confirmanda est, ut ea pra-  
dicetur, tunc possunt citati casistica, etiam, mo-  
derni, verbi gratia, de restitutione famæ, vel pe-  
niciæ, vel de detractione &c. In materiis quas  
secularis non credunt.

Septimò, spuere vel excreare in suggestu ver-  
sus illam partem, in quâ est vel SS. Eucharistia,  
vel nobiliiores Auditoribus.

Octauò, ante inchoatam concionem, ipso  
initio, strophiolo uares emungere & absterge-

Lancij Opus. Tom. 2.

re: antea sunt ista facienda, si opus sit, antequam  
ascendatur ad cathedram, vel intra cathedram  
antequam concionator compareat in suggestu  
coram auditoribus.

Nond, non expedit citando sententias SS.  
Patrum, citare librum & caput libri, maximè  
tomum ex quo sumpta sunt, quia hoc multi  
Auditores interpretantur tanquam rem affe-  
ctatam, & iudicant concionatorem esse vanum,  
quod ostentet se multa legisse &c. Sed quando  
res aliqua vel ad fidem confirmandam, vel ad  
instrutionem morum spectans proponit, cui  
Auditores difficultè credent, tunc omnino de-  
bet & liber & caput & tomus citari, præsertim  
quando sunt haeretici in concione. Tunc ita dici  
potest: Legite hunc Sanctum, tali vel tali Tomo, tali  
libro & capite id dicemem &c. vt est illud dictum  
S. Chrysostomi h. 40. ad pop. tom. 5. in quâ di-  
xit, Antiochia centum non salvandos, quamvis  
tunc dixisset ibidem h. 3. ad pop. col. 1. Antio-  
chiae eo tempore fuisse millia infinita anima-  
rum tanquam in toto orbis capite. Tales pro-  
positiones quæ videntur incredibiles, si verae  
sint, & ad fidem vel bonos mores instruendos  
necessariae, ut iis adhibeatur fides, authores  
Classici eas tradentes citandi sunt. Extra hos ca-  
sus non suadeo illos citare.

Decimò, citando locum Scripturæ, sat est ci-  
tare librum & caput, sed non quoto versu est  
posita illa, quam citas, sententia.

Vndeциò, pro theme concionis sumen-  
da est aliqua sententia Scripturæ quæ plenum  
sensem habeat, non truncata, ita ut nisi adda-  
tur eius explicatio, nil certi auditori adfe-  
rat.

Duodecimò, raro citanda sunt sententiae ex  
Tertulliano, Origene, Eusebio Emilieno, quia  
fuerunt haeresi coquinatae: & tunc citande,  
postquam alij sancti Patres Classici, sunt citati,  
ut per auxilium quandam persuadeatur Auditio-  
ribus, etiam hos, qui non erant sancti, idem sen-  
tisse de rebus aliquibus vitandis, & de rebus  
bonis exequendis.

Decimotertiò, in Poloniâ, non suadeo des-  
tere antiquum morem Provinciæ in alloquen-  
dis Auditoribus, qui compellandi sunt, Chris-  
tiani in Domino Deo chari, vel dilectissimi, vel quid si-  
miles, vitandum illud Auditores: Słuchacze. Sed  
Scholis hoc & Italis relinquentur. Retineatur  
antiqua simplicitas huius Regni.

Decimoquarto, ut excedere in concione ho-  
ram in vito est, ita non excedere scilicet horam  
malum est, ne populus sensim à concionibus  
disfuscat, si assuefat ad conciones audiendas  
tantum per unum quadrantem durantes.

Decimoquinto, nūquiam vitia Prelatorum,  
Episcoporum taxanda, quia non sequitur corre-  
ctio, sed offendio. Ita nec quedam actiones Au-  
ditorum & secularium, quae fiunt sine peccato,  
ut venationes diebus profectis, numerosa fami-

Cc 3 lia